

cum tamen illud Projecto Comitis Bani sub 4. Julij 1743 submisso conforme non esset, et aliunde etiam Ipsius ac Statuum et Ordinum deputati superinde auditi nondum fuissent, ideo habito mutuo desuper cum iisdem Consilio et deliberatione, subdivisio dictorum trium Comitatum in facie loci elaboretur, et provisorie, ac ad ratificationem nostram mox etiam in effectum deducatur. Ex quibus Comitatibus siquidem Veroczensis Supremo Comite provisus jam esset, quoad reliquorum autem duorum Comitatum Supremi Comitatus Officia nonnullae Familiae praetensionem facerent; Ideo iisdem Familijs ad Petitorium remissis, Comitatibus Syrmienti et Posegano interea de Administratoribus Officiorum Supremi Comitatus benigne providendum esse duximus, veluti in hac qualitate pro Syrmienti Baronem Marcum Alexandrum Pejachevich, pro altero vero Posegiensi alterum itidem Baronem Ladislaum Vajay jam clementer denominavimus. Quod autem

Quinto, Vice-Comitum et reliquorum subalternorum in dictis tribus Comitatibus instituendorum Officia concernit; Quamvis quidem Comes Banus sub 5. Decembris 1743 penes relationem suam certam subsectorum pro praemissis subalternis Comitatum Officijs projectorum specificationem, hic in genuinis paribus sub A. annexam, Nobis submisisset, num autem illa subiecta apta et idonea sint? non constaret: Ideo memorati Commissarij ex subiectis illis, qui semet pro Subalternis saepefactorum trium Comitatum Officijs apud ipsos insinuabunt, aptiora et magis idonea seligent, eo tamen reflectent, ut si ex illis, qui in illis Comitatibus jam resident et fixam mansionem habent, ad hoc vel illud Officium apti reperiantur, tales aliis undecunque oriundis praeferantur, et sic primo quidem in Syrmienti, dein vero etiam in reliquis duobus Comitatibus, necessarios officiales Comitatus provisorie et usque ulteriorem benignam ratificationem nostram constituent, solitum Officij Juramentum ab ipsis desumant, et statim ad activitatem, cuilibet de Lege et usu aliorum etiam Hungariae et Croatiae Comitatum competentem, ponant; sed et ipsos quoque Supremum Comitem et ejusdem Officij Administratores, obtentis et productis superinde per Cancellariam nostram Regiam Hungarico Aulicam expeditis solitis Decretis, more in alijs Comitatibus consveto installabunt. Quoad debitam autem Justitiae et aliorum Servitium nostrum et Commune totius Regni illius Bonum, Contribuentium jtem Conservationem et ulteriorem permansionem, respicientium publicorum Administrationem, cum ipsis et eorum Superioribus, antellatorum quippe Comitatum Supremo respective Comite et Administratoribus Nomine nostro exhibebunt Generalem, quae hic sub Littera B. adnectitur, Instructionem Nostram; qui postquam praevio modo constituti et ad activitatem positi fuerint, tam horum quam aliorum necessariorum Comitatus Servitorum, quando et cum quali stipendio vel Salario conductorum, genuinam Specificationem Majestati nostrae submittent. Ut autem statim Officijs suis fungi et operari valeant iisdem Comitatus Officiales,

Sexto: Jam commissum est medio Consilij nostri Aulae Bellici et Camerae nostrae Aulicae Provinciali in Sclavonia hactenus constitutae Deputationi: Primo, ut Commissioni huic in operationibus suis omnem asistentiam praebeat, et quamprimum Linea Confiniaria ducta, sicque Confinia a reliquo Provinciali Territorio sepeperata et illius Incorporatio in effectum deducta, Officialesque Comitatus successive constituti fuerint, accepta sola exactione et incassatione pro currente adhuc Anno militari cedentium Contributionum et aliorum onerum publicorum (uti ab infra dicitur), in reliquo tota tam Deputationis illius, quam Ejusdem Subalternorum